

Ovid's *Amores* 1.11

Colligere incertōs et in ordine pōnere crīnēs

docta neque ancillās inter habenda Napē

inque ministeriīs fūrtīvae cognita noctis

ūtilis et dandīs ingeniōsa notīs,

saepe venīre ad mē dubitantem hortāta Corinnam,

5

saepe labōrantī fīda reperta mihi,

accipe et ad dominam perarātās māne tabellās

perfer et obstantēs sēdula pelle morās.

nec silicum vēnae nec dūrum in pectore ferrum

nec tibi simplicitās ōrdine māior adest;

10

crēdibile est et tē sēnsisse Cupīdinis arcūs:

in mē mīlitiae signa tuēre tuae.

sī quaeret quid agam, spē noctis vīvere dīcēs;

cētera fert blandā cēra notāta manū.

dum loquor, hōra fugit: vacuae bene redde tabellās, 15

vērūm continuō fac tamen illa legat.

aspiciās oculōs mandō frontemque legentis:

et tacitō vultū scīre futūra licet.

nec mora, perlēctīs rescribat multa iubētō:

ōdī, cum lātē splendida cēra vacat. 20

comprimat ōrdinibus versūs, oculōsque morētur

marginē in extrēmō littera †rāsa† meōs.

quid digitōs opus est graphiō lassāre tenendō?

hoc habeat scriptum tōta tabella "venī."

nōn ego victrīcēs laurō redimīre tabellās 25

nec Veneris mediā pōnere in aede morer.

subscribam VENERĪ FĪDĀS SIBI NĀSO MINISTRĀS

DĒDICAT. AT NŪPER VĪLE FUISTIS ACER.